

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechthildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

VII. De multis animabus liberatis a poena.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

impetu ingressæ sunt, clarioresque sole effectæ; lotæ in illo balneo charitatis. Ego autem nimia jucunditate accepta dixi: Benedicant te, dulcis Domine, omnes creaturæ tuæ in æternum; nunc istæ *dealbatæ et splendidæ* decent te et congruunt regno tuo. Tunc inclinatus ad eas Dominus de excelso coronam charitatis quæ eas absolverat imposuit eis, dicens: Coronam hanc portabitis æternaliter in signum Sanctis mecum conregnandis, quod vos de pœnis charitatis lacrymæ sustulerunt, cum adhuc torqueri per novem annos merebamini, *mea justitia exigente.*

VII. DE MULTIS ANIMABUS LIBERATIS A PÆNA.

CUM *in festo quodam corpus Dominicum suscepissem*, dixi Domino: Deus meus es tu, Jesu Christe, hodie enim datus es mihi. Et cum propheta dixi: PUER NATUS EST NOBIS, ET FILIUS DATUS EST NOBIS. Nunc quæro, Domine, laudem tuam, non utilitatem meam, petens ut sacratissimum corpus tuum hodie miserarum consolatio sit et redemptio animarum. Tu vere meus es, ideoque rogo, Domine, ut pignus salvationis et liberationis esse digneris hodie captivorum. Tunc nimis confortata spiritu, deduxi eum in virtute ipsius ad locum terribilem, in quo erat balneum confectum igne, pice, luto, fumo, fœtore. Nebula condensata utpote pelle nigra balneum tegebatur; ibi animæ miseræ in similitudine [ranarum] luti volutabro mergebantur. Erat humana eorum dispositio; specie tamen erant imaginem diaboli in se præferentes. Coquebantur et assabantur pariter; clamabant in nimiis doloribus, lugentes carnis quæ eos in profundum demerserat voluntatem: [caro obscæcaverat eorum spiritum, unde præcipue coquebantur.] Et dixi ad Dominum: O Domine, quis est numerus harum miserarum quas hic intueor animarum; tu es, Domine, pignus veræ redemptionis; oportet te misereri. Et ait Dominus: Innumerabilis est, nec potest earum multitudinis numerus ab homine comprehendi. Hi omnes vasa confracta exstiterunt, nec carnis facta mortificare spiritu voluerunt, ex omnibus nationibus

III. 15. § 2.

et regionibus huc profecti. Et dixi: O juste Judex, ubi sunt solitarii, et reclusi, quia hic non comparent? Et ait Dominus: Occulta eorum fuerunt facinora, idcirco in profundissimis juncti cum dæmonibus cruciantur. Tunc perturbata nimium ad pedes procidi Creatoris, et vehementi desiderio æstuans, dixi ad Dominum confidenter: Domine, ante te est omne desiderium meum. Et dixit Dominus: Tu me huc adduxisti sine misericordia, eas non deseram intuitu pietatis. Circumstabant autem eas multitudo dæmonum, [quam dinumerare etiam non potuissem], qui eas de illo formidabili balneo affligebant confricantes, et pungentes, [rodentes, unguibus lacerantes] et flagellis igneis verberantes. Et dixi ad dæmones: Audite, devoratores scelerum, perspicite hoc pignus redemptionis pretiosissimum. Mox territi et confusi et trementes dixerunt: Nunc educito eas hinc; licet damnati simus et infelices, tamen recognoscimus veritatem. Tunc de dulcedine Cordis Jesu datum est desiderium illis miseris animabus, moxque cum multa [lætitia et] charitate de suis suppliciis prodierunt; et dixi [ego anima extranea:] O pie Deus, ad quem modo locum convertent se? Et respondit: Ego deducam eas ad montem floridum ubi reperient inexplicabilem jucunditatem. Itaque comitatus cum eis Dominus charitatis obsequia præbuit, societatis eis amicabilis beneficium exhibendo. Dixitque mihi Dominus, quod septuaginta millia [ibi] erant *quos tunc eripuit a tormentis*; quærentique mihi quamdiu ipsorum pœna duraverit, respondit: Triginta anni sunt quod sua corpora reliquerunt; decemque adhuc annis purgari debuerint, si non eis redemptionis pignus tum efficax succurrisset; quod expautes dæmones, fugerunt, illudque contingere non audebant. Dixique ad Dominum: Quousque in hoc monte istæ animæ morabuntur? Et respondit: Sicut nostræ fuerit beneplacitum voluntati.